Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift



192

Porro ad eternitatem animarum probanda ponit idem exemplum. Ego enim sum dominus abraham et dominus ysaac et dominus iacob statimque infert. Non est dominus mortuorum sed viuorum. ut cum probauerit animas permanere post mortem. neque enim poterat fieri ut eorum esse dominus quorumque nequaquam subsisterent consequenter inducerent corporum resurrectionem quae cum animabus bona malaue gesserunt

.xl.

Et accessit unus de scribis qui audierat illos conuenientes et uidens quod bene illis respondisset interrogauit eum quid esset primum omnium mandatum. Hic autem respondit ei quia primum mandatum est audi israel dominus dominus uester dominus unus est. et diliges dominum dominum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota uirtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi. Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Primum omnium maximum omnium mandatum dicit hoc quod ante omnia debemus intimo in corde singuli quasi unicum pietatis fundamentum locare quod aptum mediusio ne demonstrauit cum ait. Maius hoc aliud mandatum non est. Primum quoque omnium et maximum mandatum est co gnitio atque confessio diuinae unitatis cum executione bonorum operum. bona autem opatio in dilectione dei et proximi perficitur. Quod breuiter alius uerbis commendat apostolus dicens. In xpo enim ihu neque circumcisio aliquid uale neque praeputium sed fides quae per dilectionem opatur.

Et ait illi scriba. Bene magister in ueritate dixisti. quia unus est et non est alius praeter eum. et ut diligatur ex toto corde et ex toto intellectu et ex tota anima et ex tota fortitudine. et diligere proximum tanquam se ipsum maius est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis. Ostendit ex hac responsione scribe graue sepe in scribas et pharisaeos questionem esse uersatam.